

duas, magis versus posteriora in infimo ventre, junctas: in summo dorso parvam, tribus suffultam duriusculis spinis: post anum unam bicornem, et illi oppositum in dorso ejusdem fere magnitudinis. Tegitur squammis magnis clypeatis, planis: color totius pisces in summitate capitidis, dorso et medietate laterum obscure cinereus, cui hyalinus transplendet: reliquum laterum, venter et caput inferius argentei splendentis coloris, uti et pinnae ventris, reliquae pinnae cum cauda ejusdem cum dorso coloris. Praepinguis est et coctus vel assatus sine oleo vel butyro comedи potest. Salitus et in sole siccatus aservatur magna copia. Salitus quoque et in muria servatur. Optima illius pars venter.

TAB.  
XXXVI. I. 2.

*Parati*, Lusitanis *Tainha*, pisces est in longitudinem pedis excrescens, figura corporis ut *Curema*, cui per omnia similis est excepta magnitudine, et quod circulum aureum habeat circa oculos. Carne est sicciori, et quae inter coquendum pinguedinem flavam defundit. Magna copia saliti in sole exsiccantur et reconduntur. Capiuntur retibus, ut et *Curema*, transiliunt autem retia eleganti spectaculo, quando

illud trahitur: quando malacia est magno numero ex aquis exsiliunt.

*Aramaca*, Lusitanis *Lingoada* et vulgo *Cubricuncha*, soleae est species compresso corpore, et figuram habens soleae, quam Belgae vocant *Tonge*. Os denticulis acutis praeditum: caret lingua: *Oculos* habet duos in uno latere (ubi lapidei est coloris) in altero nullum, pisi magnitudine, unum prope latus posterius oris, alterum superius et magis versus posteriora vergentem, pupilla lunata, crystallina, hyalino colore transplendente. Branchiae satis ampliae, in quolibet autem latere post branchias est pinna una, duos digitos longa, angusta, superius in pilum tenuem desinens; ad branchiarum finem in infimo corpore sunt duae parvae pinnae junctae. Per totum autem corpus tam superius, quam inferius, secundum longitudinem habet pinnam usque ad caudam extensam, tenuem, vix semidigitum latam; cauda fere quadrata constat pinna tenui. Vestitur squammulis parvulis, et in toto sinistro latere, ubi oculos habet, lapidei est coloris, in latere dextro albi, vivit in mari inter arenas. Edulis est et boni saporis.

---

## TITVLVS II.

### DE PISCIBVS EXOTICIS LAEVIBVS.

#### CAPVT I.

##### *De Piscibus in totum laevibus.*

#### ARTICVLVS I.

##### *De Guamajacu Ape et Petimbuaba.*

TAB.  
XXXVI.  
3. 4.  
*Marcgrav.*  
*Hist. Brasil.*  
*tib. 4. c. 1.*

Pisces Exotici laeves sunt in dupli-ci differentia: Vel enim sunt in totum laeves, vel cum aliqua laevitate spinosi. Ex ipsis sunt quos hic describemus.

**G**VAMAIACV APE Pisces triangularis; duplex est, unus cornutus, alter sine cornibus. Cornutus ab ore ad initium caudae septem digitos est longus, (interdum et longior) a ventre ad dorsi summittatem tres digitos latutus seu altus: venter vix duos digitos latitudine complet: cauda unum digitum lata, desinens in pinnam duos digitos longam et totidem latam. Os ipsi parvulum, et pisi tantum capax:

habens in superiori mandibula duodecim denticulos angustos, acutos, in inferiori quinque. Caput ab ore ad cornua usque in gibbum affurgit, convexitate sesquidigitum; dorsum autem ad eundem modum in gibbum arcuatur: et unicam tantum habet pinnam in postica parte versus caudam, et quidem exilem. *Oculos* habet satis amplos, diametro trientis, superne in capite in fronte positos prope cornua, ab ore circiter sesquidigitum intervallo: et ante singulos oculos foraminulum unum. *Pinnas* in universum obtinet quinque, unam in extremo dorso, ut jam dixi, et in quolibet latere unam,